BL. 3250 (6)

JOHAN. WOLFII JC.
LECTIONUM MEMORABILIUM ET RECONDITARUM CENTENARII XVI.

Habet hic Lector Doctorum Ecclesiæ, Vatum, Politicorum, Philosophorum, Historicorum, aliorumq; sapientum & eruditorum pia, gravia, mira, arcana, & stupenda; jucunda simul & utilia, dicta, scripta, atque facta; Vaticinia item, vota, omina, mysteria. Hieroglyphica, miracula, visiones, antiquitates, monumenta, testimonia, exempla virtutum, vitiorum, abusuum; typos insuper, picturas, atque imagines:

Sed & ipsius cœli ac naturæ horrenda signa, Ostenta, Monstra, atq; Portenta: Hu interiuncti sunt quoq; omnes sacri prophaniq; Ordines:

Ex quibus omnibus cum præteriti status in Ecclesia, Republica, & communi vita considerati; tum impendentium eventuum, ac indies magis magisq; ingravescentium malorum præsagitio: sed & multorum abstrusorum hactenus desideratorum revelatio ob oculos perspicuè ponitur.

Cum Indice rerum, verborum & sententiarum locupletissimo.

LAVINGÆ,
Sumptibus Autoris, impressit Leonh. Reinmichel, Typog. Palatinus.
ANNO M. DC.

Idem. In diebus, quibus Alexander natus est, diris prodigijs Romani territi sunt. Nam Sol visus est pugnâsse cum Luna: Saxa sanguinem sudauerunt: in die plures Lunæ apparuerunt in cœlo: nox vsque ad plurimam diei partem tendi visa est: tunc & Saxa de nubibus cecidêre: & per septem dies grando, immixtis lapidibus & testarum fragmentis, terram latissimè verberauit.

Idem. Ferunt, Zozimum ad Carthaginense Concilium misisse Faustinum Episcopum, duosq; vrbis Romæ presbyteros: vt ostenderet, nihil vsquam publicè agi debere sine consensu Ecclesiæ Romanæ.

Idem. Malefica quædam auguriatrix in Anglia fuit, quam mortuam dæmones horribiliter extraxerunt, dum clerici psallerent: & imponentes super equum terribilem per aëra rapiunt. Clamores quoque terribiles (vt ferunt) per quatuor fermè milliaria audiebantur.

Idem spectabilem quandam inseruit libro suo figuram, in qua ex altera parte duo veneranda canitie astantes, apertis capitibus, sancti senes, ex altera verò quidam Episcopus infula tectus, & amictu superbiens sacerdotali, concionantur populo: hunc verò diabolus corripit, & in cœlos vult subuehere: sed miserè excipitur ab angelis, & diabolis, qui castib. & fustibus ac gladijs eum præcipitem deturbant.

Hæc mysterio non carent. Illis enim temporibus, quia omnibus silendum erat, & nemo vel musitare de vllo abusu Ecclesiæ Pontificiæ audebat, præ metu trucis flammæ & gladij, nonnulli tantummodò figuris & picturis aliquid de illis prodiderunt & attigerunt, quorum multos & in hoc nostro opere recensuimus, & adhuc plures habemus in recessu: quos deinceps persequemur. Quidam verò ventris causa (qui iuxta Homerum, multorum malorum radix est) & ne præbendis dimouerentur, ignominiosaq; fame laborarent, cum irreparabili & extremo perpetuæ salutis damno obmutuerunt.

1494. *Marcus Antonius Coccius Sabellicus Enneade VII. lib. IX.*

Mirum est, quantum Eremitarum res toties afflicta ad postremum creuit. Sunt nostra tempestate, vt Alouisiani commentarij demonstrant, Eremitani ordinis conuentus, quorum ratio iniri potest, circiter duo millia, initiatorum ad XXX. millia numero: Virginum loca tercentum numero. Imp. Max. 1. Papa Alex. 6.

Idem Enneadis 9. lib. 2. Stephanus Bauarus Clementi II. venenum miscuit: moxque ab eius interitu, sine cleri populiue suffragio, sacram inuasit sedem, seque Damasum II. vocauit. Vsque adeò mos inoleuerat Apostolicæ sedis per vim, & dolum occupandæ.

Idem Enneadis 9. libro quarto. Prodigia per id tempus aliquot apparuerunt. Mare vicenis passibus (alij centenis scribunt) præter solitum littora inundauit: apparuit & cometes miræ magnitudinis. His fortasse prodigijs motus, affirmare non dubitauit Fluentinus antistes, esse Antichristum natum. F. anno Domini 692.

Idem Enneadis 9. lib. 7. Natus est sub eodem Pontificatu ex illustri fœmina, Pontificis pernecessaria, puer villosus, & in speciem vrsi vnguiculis armatus: quo monstrifico partu permotus Pontifex, omnes vrsorum imagines, quæ fortè in eius domo fuerunt, iussit deleri, manifesto argumento recepto ab eo persuasionis, quales in concepta hauriuntur species, tales in partu sæpius repræsentari. Ergò mulieres etiam in domo Pontificis concipiunt? De hoc etiam suprà.